

sus : de mensâ planâ Anaximenes & Empedocles : de infinitâ radi-  
se quâ deorsum nitatur Xenophanes Colophonius apud Aristote-  
lem l. 2. de Cælo, cap. 12. Plutarchum l. 3. de placit. Philosoph. c. 10. &  
apud alios absque fundamento afferant.

Sed & aërem hunc nostrum orbiculariter circumfu-  
sum esse globo terraqueo non minus quàm illud certum est  
ex eclipsibus lunaribus, in quibus extremitas obfuscantis  
umbræ, quàm non à Terra sed ab aëre spargi primus accura-  
tè notavit Keplerus in *Astron. Opt.* p. 268. & 270. lineam circula-  
rem repræsentat, adeoque sui quoque corporis rotundita-  
tem arguit. Totum igitur hoc complexum, ex aqua, terra  
simul & aëre constans, quod à potiori parte denominatum,  
unico vocabulo TERRÆ plerumque venire solet, Sphæræ  
rationem obtinet, & globosum est, si in se consideratur.

Quemadmodum autem Lunæ corpus, quod in se spe-  
ctatū non minus quàm Terra globosum esse deprehenditur,  
nudis tamen oculis eminus visum ut circulus planus, seu di-  
scus, apparet; ita Terra nostra globosa vicissim ex orbe luna-  
ri observata disci rationem obtinet, & ut planum circulare  
Selenitis apparet. Siquidem ex *Euclide in Opticis theorem 25.*  
& *Albazeno l. 3. propos. 25. Omnis Sphæra eminus spectata circulus*  
*videtur.*

Nempe, quia oculus ob majorem distantiam deceptus  
non animadvertit, radium centralem minorem esse radio  
collaterali, sed arbitratur è globo sibi transmissos radios o-  
mnes eandem habere longitudinem, fieri igitur solet, ut sim-  
plicem & planam superficiem oculus eam esse putet, quæ  
propiùs visa magnam convexitatem habet.

Coeterum discus ille nudis saltem oculis è Luna visus  
perfectè quidem rotundus & circularis apparet, licet mag-  
nis eminentiis & cavitatibus Terra sit quàm refertissima,  
propter magnam enim distantiam, quâ Luna Terram post se  
relin-